



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Die vigesima quinta Ianuarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

claret miraculis, præcipuè à quartana liberans. Cùm autem post duos annos, vel circa, papa Clemens, cum curia sua, venisset Piectanos, & ibi moram traheret, audito quod frater Gualterus, cum schedula in manu sua clausa, suam appellationem continente, sepultus fuisset, voluit hoc videre. Vnde mandauit eum exhumari, & illam schedulam illi auferri. Mira res: manus eius aperiri non potuit, & schedula haberi, nisi prius facta promissione, quod postea restitueretur. Quo facto, statim aperiri permisit manum, & schedulam sibi. Quam cùm Papa legisset, miratus est, & reddi eam defuncto iussit. Hactenus sanctus Antoninus. De eodem Meierus in Flandriæ annalibus initio libri vndecimi quædam commemorat.

### Die vigesima quinta Ianuarij.

#### *De beato Poppone abbate Stabulensi.*

*Ex historia ad vigesimam quintam Ianuarij edita, auctore Euerhelmo abbate.*

**S**Tabuleti, obitus domini Popponis abbatis. Qui proiectis armis sæcularibus, armaturam monasticam induit ad sanctum Theodoricum. Vnde cum Viridunum commigrasset, abbas eius Richardus, à Balduino, Flandriæ Marchione, surrogatus est Atrebari ad sanctum Vedastum, deiecto à regimine Folrado. Richardus autem eo loci secundum à se præfecit Popponem omnium fratrum consensu. Cum autem Poppo videret bona monasterij in beneficia militum conuersa esse, ipse innuente Miles pro Balduino, res monasterij prudenter repetijt, & vt fratrum nobils equi- permanerent, publicis instrumentis stabilijit. Pro quo te, milites ad eum perimendum, viarum septa vndequaque occuparunt. Sed Poppo per arma iustitiæ à dextris & sinistris vallatus, omnes iniquæ coniurationis conatus rupit. Sed & Henricum, tam pium, quàm magnum Imperatorem redarguit, cùm vrsis nudus quidam melle perunctus, non absque vitæ periculo, exhiberetur. Porro idem Imperator, hunc venerabilem abbatem & regimine & miraculis clarum Stabulensibus apud sanctum Remaclum præesse voluit: sed & aliorum cœnobiorum, sui Imperij,

ei regimen commisit. Vir autem sanctus rectores singulos singulis præesse voluit. Fuit etiam ad formandum monasticum regimen, multis in locis postulatus. Nam Cella sancti Gislæ præfecit sub se Herbrandum, in Altomôte, Euerhelmum; Vualciodori, Lambertum; Traiecti ad sanctum Paulum, Herigerum; Atrebat, Emmelinum; Martianis, Balduinum. Ac tandem, cum Stabulense monasterium & Malmundariense, quod ab eo dependet, egregie illustrasset; cumque aliorum monasteriorum indefessam sollicitudinem subiisset, anno quadragesimo octauo ultra millesimum, in die conuersionis sancti Pauli, prout semper operauerat, spiritum Deo reddidit. Estque à Vuazone episcopo Leodiensi sepultus in Stabulensi ecclesia. Mirum est autem Stabuletum, Imperiale monasterium, eius canonizationem apud Apostolicam Sedem non sollicitasse, cum de virtutibus eius, & miraculis, permulta legantur, Blandinij conscripta, per Euerhelmum abbatem Altrimontensem, & postea, ut puto, Blandiniensem. In chronicis enim Blandinij, notatur Euerhelmus, electus abbas anno supra millesimum quinquagesimo octauo: defunctus anno sexagesimo nono. Sunt autem Stabulenses, à quibus Malmundarium dependet, diocesis Leodiensis, sed pro altera iurisdictione litigatur à Lutzenburgensi duce & Leodiensi principe, cum illi se immediatè Imperio subesse verbis & factis asserant.

### Vigesima septima Ianuarij.

#### 1<sup>o</sup>. De sancto Sulpicio, episcopo Baionensi.

*Ex libris ad sanctum Gislænum, & informatione Marthæi Maulart Reuerendi abbatis ibidem, nunc episcopi Atrebatensis.*

**B**Aionæ, natalis sancti Sulpicij, episcopi & confessoris. Cuius corpus habet Cella, siue sancti Gislæni monasterium, quod est antiquissimum in Hannonia. Vnde in Martyrologio ibidem legitur, die vigesimo septimo Ianuarij, *Deposio sancti patris nostri Sulpicij episcopi & confessoris. & die vigesimo primo Iulij, In Cellensi monasterio,*  
trans-